UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. III. Dei matris pulchritudinis contemplandae pij uiri maximo studio tenentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64305

Visual Library

ſublimem adoleſcentulam arripiens, è ſpecula illam deijcere nixus eſt. At ea ſe ſalutatione Angelica, ex illo periculo eripuit; hoſtemq; in fugam coniecit; qui abiens, futurum dixit, ut ſe acerrimum, & grauiſſimum aduerſarium ſemper haberet; ni ab illo inſtituto longè abducta receſſiſſet. Idem palam protulit, & faſſus eſt, niſi eo tempore MARIAE nomen memoria repetitum fuiſſet, de puellae uita actum fuiſſe. Non ampliùs poſteà ullam puellae curam iniecit; neq; ad eam conceſſit. Diſcant hinc chriſtiani homines, quantam uim cùm ſanctiſſimum illud nomẽ, tùm Angelica ſalutatio ad reprimendos cacodaemonum impetus, ac furores, habeat.

MIRAC. VIRG. IIII.

Dei matris pulchritudinis contemplandae pij uiri maximo ſtudio tenentur.

Plus vir, qui coenobio D. Dominici praeerat, ità monacos omneis piè, ac ſanctè inſtituerat, ut Virginem purè, & ex animo omnes colerent. Vnus ex illis praeter ceteros in admirabilẽ erga illã obſeruantiam omne ſtudium cõtulerat, & in eius cultu totum animum plane occuparat. Dum interdiu, & noctu eam precari, & laudare abſq. ulla intermiſſione non deſiſteret, ipſa ei, unà cum filio clariſſima luce conſulgens, in conſpectum ſe dedit. Veritus ipſe, ne illa eſſet cacodaemonis aſtu ficta imago, Virginẽ ualde obteſtatus eſt, ut ſe ceteris monacis, quorum à multis maiori religione, quàm à ſe colebatur, indicaret.

Admirabili igitur ſplendore coenobium complens, uniuerſo illi coetui apparuit. Nihil clarius, aut lucidius mortalib. oculis conſpici poſſe, illi omnes praedicabant. ijdem cum ea ſuppliciter egerũt, ut iterum ſe claro lumine cõringi paterentur, ne animi penderẽt; ſed pro certo haberẽt, ſe minimè illuſos fuiſſe. Ea inſigneis nitoris formas reddens, diuinoq. lumine diffuſa, iterum, atq. iterum pios uiros inuiſit. Atq. hoc euenit quo tempore primum ſtabiliri uix coeperat eius religionis ordo; ut eo miraculo certiores omnes fierent, quantopere ille probaretur. Quòd ſi firma ſtat Dei ſententia, ut qui tantillum fidei habuerit, uel monteis uno uerbo transferre, & maria, ac fluuios ſiſtere ualeat; quid mirũ, ſi, qui in precationib. aſſidui, & in meditationib. frequentes ſunt, ſaepè & Virginẽ, & alios coeleſteis intuentur?

MIRAC. VIRG. IIII.

Pio iuueni, uiſa ſemel Virgine, oculi lumen adimitur; eam ubi iterum conſpicatur, ſeſe lux in coecum oculum effundit.

TAnta erga Virginem pietate clericus Lutetiae repertus eſt, ut eius pulchritudinis aſpiciendae ardenti deſiderio flagraret. Illum Angelus ipſius reginae nomine ſaluere iuſſit, futurumq. nunciauit, ut, quod cupiebat, ex ſententia aſſequeretur, ac diem dixit, quo ad illum ea conceſſura erat. Monuit deinde, uiſa Virgine, coecum repente eundẽ futurum. Id ſe maximo in lucro deputare, reſpondit iuuenis; modo ſemel ſaltem ſplendidiſſimos eius ſo-